



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 35. Angli per Legatum a Schismate soluti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

„Romana sese in calamitates ferme eas-
 „dem præcipitem dedit, atque Anglia,
 „quamprimum sese ab unitate Ecclesiæ
 „segregavit, quamplurimas experta est
 „seditiones, quoniam sicut schisma am-
 „bitionis, ac humanæ prudentiæ ful-
 „cris innixum sua cepit incunabula,
 „ita etiam potissimum abominando com-
 „placendi studio sese erexit, ac incre-
 „mentum sumpsit. Equidem Sacra Se-
 „des aliorum Principum potentiam ad
 „castigandam Anglorum rebellionem in-
 „vocare potuisset, maluit tamen in
 „Dei auxilio confidere, diemque ex-
 „optatum expectare, quem etiam ho-
 „die illucescere cernimus.„ His dictis
 prolixius excurrebat in laudes Reginæ,
 quam a Deo ideo incolumem servari
 peroptabat, ut per ejus ministerium
 cœlestes benedictiones in Ecclesiam suam
 effunderet. Denique pœnitentiæ loco
 Anglis injungebat, ut omnes leges con-
 tra Papæ auctoritatem, sanctam Sedem,
 ac Religionem conditas abolerent.

§. XXXV.

Angli per Legatum a schismate soluti.

Hac oratione absoluta Legatus æque,
 ac Rex, ejusque conjux surgentes
 genua flectebant, moxque cuncti utrius-
 que Curia Patres eandem exhibebant
 submissionem: Cardinalis vero alta voce
 hæc

Sæcul. XVI.
 A.C. 1554.

Becatel. is
vit. Poli
Pallav. l. 13.
c. 9. n. 10.
Ciacon. t. 3.
p. 633.

hæc

Sæcul. XVI. hæc pronuntiabat verba : „Dei miseri-
A.C. 1554. „cordiam imploro, atque exoro, ut
 „populi sui benigne misereatur, eique
 „suam remittat culpam., Postmodum
 tanquam Vicarii Christi Domini Lega-
 tus pro more toti congregatorum con-
 fessui bene precabatur, eidemque ab-
 solutionem impertitus, omnes censu-
 ras solvebat. Demum unaomnes Re-
 gium Sacellum accedentes Hymnum
 Ambrosianum decantabant; altera au-
 tem die Polus ad Londinensis Magi-
 stratus preces, necnon ex Regis, ac
 Reginae consensu Legati insignibus con-
 spicuis pompa in ejusmodi eventibus
 solita urbem ingrediebatur. Die secun-
 da Decembris Philippus, & Maria, nec-
 non Legatus, omnesque Aulici Tem-
 plum Divi Pauli accedebant, ubi Via-
 comiensis Episcopus Cancellarius con-
 scenso suggestu populo annuntiabat, cum
 quanto fervore Regius Senatus nomine
 totius Regni sese denuo Sacrae Sedis
 obsequio devovisset, atque a Legato cun-
 cti perbenigne excepti, a schismatis
 crimine, & Ecclesiae censuris fuissent
 liberati: denique omnes hortabatur, ut
 pariter pro tanto beneficio debitas Deo,
 Papæ, suisque Principibus grates re-
 penderent.